

Nf 41.
(2)





Jc 2605



&c.

§ 30.

Zeit.

1592

Officia

in im

atina,

m de

erum

ps.

phi.

MOTUM TERMINUM

JURIS JUDAICI

CIRCA

MOTUM TERMINUM
RESPONSIO.

EDIDIT


D. JO. HENR. CALLENBERG

Theol. & Phil. Prof. Ord.

HALAE

In Typographia Instituti Judaici

ANNO MDCCLXXXIX.



1044

I.

Hebraeorum de moto termino exposituri sententiam, a Jobo exordimur: extensa ultra Abrahamidas gentilitii nominis amplitudine; atque subnixi probabilibus illorum opinionibus, qui Jobum tradunt ortum ex familia Nachoris, qui Abrahama frater fuit, & vixisse illo tempore, quo Israelita servitutem Ægyptii patiebatur. Jobus igitur, quod jam per rationem inter omnes constituit, suo confirmavit effato, injustum scilicet esse, vicino invito, insciove, promoveré fines. Cum enim de facinorosis ei sermo esset, hoc ipsis inter alia tribuit, quod limites submoveant.

II.

Responso. Interrogatus a Icto respondi
cl^occxxxv. die xx. Septembbris.

De moto termino. Variae judeorum de termino constituendo leges reperiuntur in codice talmudico, Baba batra.

Jobus igitur. cap. XXIV. 2.

II. Progredimur ad Israelitas, qui stri-
ctius Hebræi dicuntur. Docet Salomo Jar-
chius, amplissima lege, quæ rapere alienum
prohibet, contineri jam rapinæ terminalis
interdictionem. Plenius id exprimit Maimo-
nides: *qui alterius movet terminum, inquit,*
finibusque illius ablatum quid adjicit suis, eti-
am si hoc vix digitæ complectatur spatum, si
vim adhibet, raptor est. Sin clanculum facit,
fur est.

III. Verum specialiter quoque dicta in-
juria prohibita fuit. Moles divino iussu sanxit:
ne moveto alterius terminum, a majoribus de-
finitum, in possessione, quam possidebis in terra,
quam tibi Iehova, Deus tuus, occupandam con-
cedit. Idem cum concreditum sibi populum
edoceret, quæ facinora solenniter execranda
sint, termini quoque motionem commemorat:

X 2 exc-

Salomo Jarchius, *ad Deuteron. XIX. 14.*

Rapere alienum. In *jurisprudentia judai-*
ca vocis, quæ rapinam significat, eadem
profertur descriptio, ac nostris Ictis fa-
miliaris est. Maimonides in tr. de raptō,
cap. I. §. 3. L'Empereur ad Cod. talm.
Baba kama, cap. 9. §. I. Maimonides.
in tr. de furto, cap. VII. §. II,

Dicta injuria. *Latius ex sermonis latini in-*
dole usurpamus vocabulum.

Moses. *Deut. XIX. 14. XXVII. 17.*

4 JURIS JUDAICI CIRCA MOTUM

execrabilis, ait, qui alterius terminum summoverit. Præterea dictum hoc Salomonis legitur: ne summove terminum, quem tui fecere majores. Hoseæ denique hoc spectat comparatio: sunt Iudei principes, tanquam translatores terminorum.

IV. Sigillatim nonnulla præcipiuntur. Rabbinorum alia juris observatio est circa translationem finium agri Canaanæi, alia circa agri extranei immutatos limites. Ut pupillorum in primis ager intactus relinquatur, graviter monuit Salomo: antiquum limitem ne summove, neve in pupillorum agrum invadet. Lepidum casum memorant doctores judaici, quo, contra vulgi opinionem, metas in vici, num agrum proterminare illicitum sit; nempe, si hujus possessor supplicium fuerit passus. Casum hunc Mosis ante oculos versatum putant, cum de termino veteri servando scriberet legem; idque intelligi ex junctura hujus, aliasque legis, quæ de homicidio agat. En verba commentarii, qui Baal hatturim inscriptus est: cohæret (lex,) ne moveto alterius terminum, cum (lege, quæ præcipit) de homicida; ne dicas: quandoquidem interfisi

cere

Salomonis. Proverb. XXII. 28. XXIII. 10.

Hoseæ. cap. V. 10.

Pupillorum. Proverb. XXIII. 18.

Baal hatturim, ad Deut. XIX. 14.



cere licet homicidam, ejus movebo terminum; nam ejus bona corpore ipsius graviora esse nego-
quent.

V. Quod ad spatii amoti restitutionem, pœnamque amotionis attinet, Rabbini pri-
mum censent, judices, qui vim, vel fraudem
passos audire juvareque nolint, tantundem
delinquere, ac terminorum motores. David
Kimchius in explanando Hoseæ loco istam
patris adfert expositionem: *pater meus - sic*
explicuit (locum,) principes sunt tanquam
translatores terminorum: implorarunt quidem
ipsos contermini, quod vicini summoverint li-
mites agrorum, vinearum atque domuum sua-
rum; sed non auscultarunt implorationi. Ita-
que principes sunt tanquam terminorum trans-
latores, quod in summovendo termino illos ob-
fimarunt.

VI. Sanctio specialis divinam indicat pœ-
nam; cuius explicatio ad aliam scientiam per-
tinet. Damni facti compensationem, hum-
manamque pœnam nullam hic video prola-
tam; atque idcirco hæc altius repetenda est.

VII. Ubi in scripturis sacris reticetur,
quomodo delictum ulscisci debeat magistra-
tus; vel indicata ultio ad coercendam delin-

(3) quen-

Kimchius, *ad Hos. V. 10.*

Divinam indicat. *Iob. XXIV. 2, Deut. XXVII.*

17. *Hos. V. 10.*

6 JURIS JUDAICI CIRCA MOTUM

quentium malitiam sufficere non putatur: tum judex, considerata præcipue exempli consequentia, suo arbitrio reum punit. Inservit punitioni isti mulcta, societatis ecclesiasticae, civilisque interdictio, suis distincta & exagerata gradibus, verberatio, capitis suppli- cium.

IIX. Præcipiunt porro rabbini de legibus prohibitoris, actum vetantibus malum, quibusque actus alius, tanquam noxæ corre-
ctor, adjectus est, ut, si quis admonitus po-
sterioreni actum omiserit, is flagellum subire
cogatur. Inpræsenti mulcta plerumque de-
cernitur, quæ tot argenteos, aureosve com-
prehendit nummos, quot oporteret ictus ex-
cipi.

IX. Propius rem tangit, quod de furti
raptique pœna memoratur. Furto statuerunt
pœnam,

Suo arbitrio. *Maimonides in tr. de furto*
cap. I. ubi pueruli furati verberatio de-
scribitur. Tr. de homicida, cap. II. §.
2-5. Tr. de synedrio, cap. XVI. §. 4.
ubi de contumelia pœna loquitur.

Flagellum subire. *Id. in tr. de synedrio cap.*
XVI. §. 4. Et in tr. de Maccot cap. III.
Brevis pœna descriptio extat Deut. XXXV.
2-3. plenior in tractatu talmudico, Mac-
cot dicto.

pœnam, ut ablatum dupliciter restituatur; quadruplum vero ad ovem, bovemque restri-
ctissime relatum fuit. Sed agri furator, arro-
sorque furax, adjectione alterius partis pœ-
nali eximitur. Dixit enim Maimonides: *qui
servos furatur, chirographa, agrosve, non red-
dit duplum. Lex enim non condemnat (furem)
dupli, nisi ob bona mobilia, quæque in se opes
sunt: quandoquidem (in lege mosaica tantum)
bovis, asini, ovis & vestis mentio facta est.*

X. Rapinae pœnam leviorem fecit Mo-
saicæ sanctionis contractior interpretatio. Sim-
plum reddi jubent, quale tempore ablacio-
nis fuit. Attamen ista rerum mobilium &
soli jactatur differentia, ut has, post furtum,
in potestate proprietarii manere, idque, quod
melius in ipsis factum sit, ei cedere; illarum
vero subsecuta emolumenta, præstantiæque
accessiones raptor i adjudicandas esse profite-
antur.

XI. Jacto hoc fundamento, quisque de
submoti limitis pœna conjecturam facere pot-
est.

Dupliciter restituatur. *Maimonides in tr.
de furto, cap. I. §. 6.*

Pœnali eximitur. *ibid. cap. II. §. 2.*

Servos furatur. *ibid.*

Esse profiteantur. *L'Empereur ad Cod. tal-
mud. Baba Kama, cap. IX. §. 2. & cap.*

X. §. 5.



8 JURIS JUDAICI CIRCA MOT. &c.

est. Punitio maxima ex parte judicis arbitrio permissa, atque hic exempli periculo pœnam mensus esse videtur.

XII. Pupillorum agro adhibita vis, fraude que, specialem vindictæ divinæ comminatio nem habet. Qui agri canaanæi transfert terminum, gravius peccare, eoque duriorem procul dubio pœnam mereri, creditur, quam is, qui eandem alibi injustitiam exercet. Audiamus Salomonem Jarchium: *annon jam dicatum est, ne rapito? Quid igitur sibi hoc vult, ne movebo (terminum?) Docetur, illum, qui eruat terminum alterius, peccare in duo interdicta. Num potest hoc etiam fieri extra regionem (israeliticam?) Significatur, (quid respondendum sit, verbis:) in possessione tua, quam possidebis, &cetera. In regione Israelicæ peccat (quis) in duo interdicta; at extra eam (in hoc interdictum) tantummodo peccat ne rapito.*

Pupillorum agro. Proverb. XXIII. 10.
Salomonem Jarchium, ad Deuter. XIX. 14.



Fe 26 03
S

10 18

h. t.



B.I.G.

Farbkarte #13

